LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS
AT URBANA-CHAMPAIGN

EMBLEMS
xq943.3
M46Wco



RARE BOOK ROOM

Digitized by the Internet Archive
in 2009 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign

http://www.archive.org/details/famaprognosticaa00coll



Casp. Amort delin. Bartholome Kilian sculp.

FAMA
PROGNOSTICA
AD CUNAS
SERENISSIMI PRINCIPIS
MAXIMILIANI
EMMANUELIS

LUDOVICI MARIÆ JOSEPHI CAIETANI
ANTONII NICOLAI FRANCISCI IGNATII
FELICIS

Sereniſsimi ac Potentiſsimi Principis
Domini, Domini

FERDINANDI MARIÆ

Vtr. Bav. & Palat. Sup. Duc. Com. Palat. Rh. S. R. I.
Archidapiferi & Elect. Landgr. Leichtenbergenſis.

ET

Sereniſsimæ Principis ac D. Dominæ

HENRIETÆ ADELEIDIS

Vtr. Bav. ac Palat. Sup. Duc. Com. Pal. Rh. Electr.
Landgr. Leichtenbergenſis, natæ Regiæ Principis
Sabaudiæ & Pedemontij

DULCISSIMI FILII

In communi Patriæ plauſu celebrata & demiſsiſsimè dicata
à
Collegio Monacenſi Societatis IESU.

Typis LUCÆ STRAUBII.

Anno M. DC. LXII.

AD

SERENISSIMUM PRINCIPEM MAXIMILIANUM EMMANUELEM, &c.

FAmam tuam canimus, SERENISSIME PRINCEPS MAXIMILIANE EMMANVEL, *quæ numeroſâ* HEROVM *virtute propagata, tandem in* CVNIS TVIS *acquieſcit: Tuam dicimus, quia iiſdem tecum natalibus egreſſa, in eandem gloriam nata eſt, quæ* MAIORIBVS *tuis immortalitatem peperit. Jmmatura quidem eſt magnis laudibus, quas nobiliſſima Indoles tua, ſpiránſque in vultu Maximi Parentis virtus molitur; in eas tamen Spes animoſa aſſurgit, quas ſucceſſibus ornatas inſequens ætas ſuſpiciet. Cyro tenera & puerum nondum egreſſa virtus, quâ inter coævos Regium Nomen uſurpavit, Perſarum Imperium ominabatur: tibi* FAMA TVA *in ipſis incunabulis, virtutem, gloriam, triumphos auguratur.*

Jnſidet ori tuo, totúſque ex oculis emicat cum MAXIMO AVO TUO *Sereniſſimus* GENITOR FERDINANDVS. *à Sereniſſima* GENITRICE ADELHAIDE *eum ſuſcepiſti Sanguinem, quo* SABAVDIÆ HEROVM *vir-*

tus nutritur. Vivit in te AVSTRIACVS GENIVS *Sereniſſimæ* AVIÆ MARIÆ ANNÆ.

Quis ſpei ſuæ de tanta progenie conceptæ quippiam adijciet, quo tu majora non repræſentes? Exhauſiſti PATRIÆ VOTA. *Obſtrinxiſti natalibus tuis* FAMAM; *quæ tantas laudes de te non pollicetur, ut tu majores non promittas. Multum Achilles Homero debet, quòd memoriam ſuam poſteritati conſignaverit. Plus tibi* FAMA TVA *obligata eſt, quòd Achillem nacta ſit, cui nobiles laudes ſuas impendat. Summis profectò curis Te ab ineunte ætate (nam in tuam immigrare voluit) complexa eſt, jam tum tibi triumphos adornavit: eos verò quibus exordijs, qua ſpe, quo ſucceſſu moliatur, ſi pateris, evoluimus.*

FAMA

FAMA PROGNOSTICA.

CÆlum vertebatur, & Luna montes eluctata occupaverat Solem, qui dubio & ſtricto lumine per ſumma montium culmina vibrabat: cùm BAVARIÆ GENIUS pacata noctis allabentis imagine invitatus, ad illuſtrem illam Cæli facem oculos adjecit; & ex imo pectore rumpens ſuſpirium: *Quando tandem,* inquit. O DEA! *luctantes ſecum Patriæ ſpes abſolves? Equidem votis prolixè indulſi, ut Sereniſſimo* MEO FERDINANDO *parvulus Aulâ ÆNEAS luderet, Dijs quàm ſimillimus, &* MAXIMO PATRE *plenus. Quando tandem cunctantem Prolem felici partu effundes?* *Genij Bavariæ ad Lucinam vota*

Ita quiritantem Lucina amico de Cælo lumine reſpexit; & quaſi annueret, viſa eſt illuſtre caput diſſipatis undique radijs commovere. *Felicis partus omen.*

GENIUS nihil ultrà adjecit; ſed tenebris jam audaciùs ingruentibus exceſsit aulâ, ad Martem in vicinis ædibus reviſurus; in quibus armorum conditorium viſitur, antiquis Boicæ Virtutis monumentis inclytum.

Varia ibi militum armatura ſpectatur. Perfoſsi thoraces: hoſtium ſpolia in trophæa induta: lacera & confracta vexilla, aut hoſtibus in acie erepta, aut ſuâ clade nobilitata. Antiqua aliquot pila; quæ Romanis ablata Hannibal ſui monumentum Taurini fixit: cùm adhuc Colonia Romanorum erat. Lunati Perſarum acinaces; quos OTTONI MAGNO, BOIARIÆ deinde DUCI, Byzantina legatione perfuncto, dono dederat Orientis Imperator. Macedonicæ ſariſſæ plures. Numeroſa quoque cataphractarum imaginum ſeries & curulium machinarum formidabilis ordo terrorem afflant intrantibus. *Armamentarij Principum deſcriptio.*

Huc GENIUS ea nocte divertit. placuit enim cum Marte ſermones conferre, quos, mira ſuavitate jam multo pacis uſu mitigatus, de MAXIMILIANI ſui Bellica Virtute conſerere novit. *Genius convenit Martem in armamentario.*

Mavors ubi GENIUM ſerenos Cælo currus agere conſpexit, jam vario gaudiorum æſtu abreptus, has ad Cælum voces effudit.

Salve, ſerenis quem radijs honor
Stipatus ambit, gloriáque arduas
Virtutis eluctantem arenas
Purpureis animoſa Cæli
Invexit aſtris. I modò lucides
Moliri greſſus, O! BOICI JUBAR
ILLUSTRE CÆLI: *pérque nubes*
Sidereas pete celſus arces.

Iam ſe Bicornis movit eburneis
Latona bigis. Scande: vicarias
Infuſus aſtris ſparge luces,
Et nitidas moderare ſtellas.
Te centum AVITI SIDERA STEMMATIS
CENTVM *coronant* LUMINA. PER PATRUM
Incede laudes, & trophæis,
Et decorum ſpolijs onuſtas.

Ita canenti GENIUS currum admovit. Mavors ubi adventantem ad ſe DIVUM conſpexit; tametſi ſuras, & cætera membra chalybe revinctus, feſtinavit tamen in occurſum gratiſsimi hoſpitis, & amicè perſalutatum in ædium interiora deduxit.

Ingentem aulam reducti ab ærato poſte peſſuli explicaverant, pendulis undique funalibus illuſtrem. Stabant ex terſo chalybe armatæ imaginum ſeries, & inſperſam temerè lucem, quam circumpoſitæ lampades accenderant, vario errore per aulam diffundebant. Luna quoque, feneſtris immiſſa, tremula luce in ſimulacris errabat. quin ipſe Mavors, ubi gradum ferebat, inerrantes chalybi ignes amœna imagine circumduxit.

Eius cum Marte colloquium. GENIUS non indelectatus tam ſplendido armorum cultu, ut tamen Belli DEUM in PRINCIPUM SUORUM laudes evocaret, acres illi oculos advertens.

Et verò, inquit, *non ſatis eſt, Mortales ſua ſponte in exitium propelli? Armis tuis fulgorem quoque concilias, qui miſeris eripiat oculos, & cæcos in pericula deducat, quibus illos incautus belli ardor committit. Ego* ASCANIUM, *qui ex* FERDINANDO MEO *naſcetur, ad Pacis admovebo ſtudia: nam quanto cum ſanguinis impendio gloria in bello emitur?* Subſtitit hîc Mavors; & in GENIUM intuitus concitati animi ſigna perſenſit. Acuta quippe luce oculi vibrabant, & creber ſpiritus quaſi ad inſidias retentus ſubduxerat verba. Sed nec mirari ſatis potuit, BELLICOSUM ceterà GENIUM, & qui PRINCIPES ſuos Bellonæ innutriverat, tam ſubitò alienum à ſe animum induiſſe.

Texit tamen profunda ſimulatione vulnus; & ne ſuâ indulgentiâ vires colligeret, occupavit GENIUM, & jam plura molientem interpellans.

Quid, inquit, *Romana felicitate majus Orbis habet? at illa armis in hoc faſtigium educta eſt. Romulus Imperij conditor poſteris ad gloriam iter armis ſtravit. Nunquid Roma armorum ceſſatione ſemel inducta, turpi otio, ſqualore, luxu emarcuit?*

Sed quid vetera repeto? Cernis hic MAXIMILIANI NOSTRI *manubias? parta trophæa? volantes in vexillis aquilas? vides victricia & hoſtium ſanguine maculata arma, quibus nutantes Imperio aquilas reparavit? Prô! quantam ille gloriam, quos honores armis non adeptus eſt? Ipſe* FERDINANDUS NOSTER *vix primas curas libavit, cùm teneros artus jam in armis exercuit.*

Æreum ſimulacrum Sereniſſ. Ferdinandi. Hæc locutus prehenſum manu GENIUM ad parvum ex ære ſimulacrum perducit, artifici manu elaboratum. Illuſtris quippe chalybs erat, & ex ea parte, quâ commiſſuris innectitur, copioſo auro inſperſus. Ipſæ juncturæ aureis claviculis conſertæ erant, purpureis ex oſtro fimbrijs ambitioſè promicantibus.

Nobile opus Genius curioſa ſpeculatione luſtravit, ex Marte joco perconatus, an in hac militari veſte ab irata ſua Iunone in lucem editus eſſet; quando illum, Fratris è cerebro partum imitata, in campis Olenijs effuderit?

Subriſit Mavors, & utraque manu amplexus ſimulacrum: *Nobilior*, inquit, *Spiritus hos artus animavit. Sub hac caſſide* Ferdinandus Tuus *innoxiam ætatem egit: hunc thoracem teneris lacertis libravit: his perſonatus armis* Maximo Parenti *lenibat curas. nolebat quippe* Bellicosus Princeps *alium ludum niſi armatum ſpectare, quo & ſuam recognoſceret virtutem, & nobiliſſimam Prolem ad eandem belli gloriam erudiret.*

His ſermonibus extracta nox jam pronior in diem ibat. Neque expleri poterat Genius dulciſsimo affectu; quem Ferdinandi Sui tenera virtus altè in animum ejus demiſit. Dum igitur oculis percurrit ſimulacrum: dum multiplici nexu obligatos ferri articulos miratur: dum armillas, dum ſcapulas verſat: ominoſo primùm ſtrepitu arma concuti, immiſſo deinde repentè ſpiritu animari.

Naſcitur ex illo Fama.

Ferrati ſpirant artus, animámque repentè
Concipiunt: & quæ fuerat modò Martis imago,
Fit Dea. Candentes illuſtri caſſide vultus
Elucent, geminas accendunt lumina ſtellas:
Candor in ore, geníſque oſtro confuſus inerrat.
Aurea Cæſareis humeris fluit: inque virentem
Lucida caſſis abit laurum: niveáſque lacerti
Diſſimulant plumas. pennarum plurimus ordo
Collectúſque humeris inſperſas concipit auras.
Candida cærulei percurrunt tegmina rhombi;
Quæ collo committit onyx: nudáſque fluentem
Ad ſuras pallam peregrino dente coëret.
Lævâ tubam gemmis conſertam, auróque rigentem
Suſtinet: è varijs implexam dextera chartam
Spirarum volvit latebris; quibus inclyta Virtus
Maiorum decora, et Victrices intulit arcus.

Marti prodigioſa Metamorphoſis ferè mentem ſubmovit. At Genius, quem Gentilitia Principum Suorum arma, rhombis infuſa, in certiores ſpes erexerant.

Admovit propiorem aciem, Numénque pererrans
Luminibus tacitis,

fluctuantem animum in diverſa diſtraxit: quem non paſſa Dea diutiùs per confuſas ſpes errare, admotam roſeis labellis tubam in hæc verba velut oracula laxavit. Nascetur Avitæ Virtutis Hæres, Magni Parentis Magna Soboles, MAXIMILIANUS EMMANUEL.

Genius tanto repentè gaudio ictus, diu immotus hæſit: ſive ſpes exſpectatione ſuâ jam liberatæ occuparent animum, ſive tacita Cælo vota offerret pro Principe Prole. Serenos deinde ad Martem vultus explicans: *Age*, inquit, *cita ad frena jugales; ad* Ferdinandum Nostrum *remeabimus,*

bimus, impleturi tantis ominibus ſacrum pectus. Et ad FAMAM converſus: *Tu verò,* O DEA! *quo* PRINCIPES NOSTROS, *quo Patriam gaudio cumulabis? ſi ſpes ſuas tot votis verſatas, in ſperatos denique ſucceſſus eductas agnoverint. Ergo naſcetur* MAGNA SOBOLES *in* MAXIMI AVI NOMEN *itura? Imò etiam in virtutem,* reponit FAMA. *Naſcetur* PRINCEPS, *in quo &* AVUM *recognoſcas, &* MAXIMI PARENTIS *facta repetitâ iterum virtute recenſeas.* Decenti deinde greſſu propiùs ad GENIUM admota, quædam apertiùs edixit, de militari, quem induta erat, cultu, de aurea tuba, de lauro, quam fronti circumpoſuit. de membrana verò temerè in ſpiras convolutâ omnia ſtudiosè contexit: malebat quippe non ſine omine, & recondito eventuum nexu latentes in charta ſpes evolvere.

Cum Genio & Marte contendit ad aulam.

Sub hæc reverſus Mavors monuit, ſtare ad currum jugales: conſcendant ocyùs; ſe ipſum per viarum compendia acturum temonem, ut celeriùs perferantur ad Aulam. GENIUS dum in ſublimem cum FAMA currum inſcendit, Phoſphorum, qui jam prævijs fulgoribus ſolem ſuum præluxerat, hoc in auras projecto carmine ſalutat.

O! Cœli nitidum Decus!
Tithoni roſeæ nuncius orbitæ,
Stellarum tacitam fugam
Et Solis teneras Oceano vias
Scrutaris vigili face.
Illuſtrem radijs pecte comam, & Novi
Ad Cunabula PRINCIPIS,
Cælum Purpureis inſere Solibus.

Advertit ſcilicet Mavors, quare GENIUS hæc ad Phoſphorum vota effuderit: cupiebat quippe maturari Sereniſsimi Solis ſui ortum, cui tam illuſtrem FAMA facem præferret: unde conjecturâ præcipere poſſet, quàm Serenam lucem Sol iſte orbi allaturus eſſet.

Occurrit illis Zephyrus.

Viſus eſt Mavors vaticinium edidiſſe: vix enim ad aulæ limen anhelantes equos ſtitit: cùm ſtridulo greſſu alatus accurrit juvenis, aſcitâ veſte, Principis Ephebum mentitus: & omnia prolocutus officia, verboſæ humanitati prolixè indulſit. Addidit quædam de Natalibus ſuis: ſe in felici Arabia genitum eſſe, & perpetuam odorum tempeſtatem ſpirare: ſibi ſoli licere, ſi Pater luctantes ventos carcere frenet, obludere paternis auribus. Hæc ſonora verborum volubilitate effundentem non potuit agnoſcere FAMA: circumjecta enim nox obſcuro velo vultus obnupſerat? quos abſterſis tenebris repentè explicans: *Ego,* inquit, NATO PRINCIPI *vitales adſpiravi auras: me quippe animante omnia vitam concipiunt.* Et hæc ipſa, quæ ſpirabat, verba floſculos germinabant.

Nunciat natum eſſe Principem.

Iubetur à Genio Partus omina præmittere.

Agnovit denique FAMA Zephyrum: & quòd ſciret, garrulum juvenem mira celeritate inſtructum eſſe; ei in mandatis dedit, ut, dum ipſa Sereniſsimo FERDINANDO felicis Partûs gaudia nuntiaret, ille ſuſpenſas civium ſpes novis ominibus protraheret, ſpargerétque per urbem, Solem hodie non ex Auroræ thalamo, ſed ex Sereniſsimis CUNIS maturiùs, quàm aliàs con-

conſueverit, egreſſum eſſe: excuterent ocyùs ſomnum, ſpectarent Serenos Solis radios, & in CUNIS Saturnia ſæcula renovantes. Adjecit deinde; ut annum jam provectum iterum in Ver induceret, omnem florum venuſtatem repararet: CUNAS NATI PRINCIPIS ſertis, coronis, floribus ornaret.

Celeres alas concuſsit Zephyrus, & in mandata influens, obſequioſa agilitate pervolavit urbem: & quacunque ad ædium feneſtras admovit alas, inſpiravit nuncium. ſed ſive errante circùm aura confuſius, malè enunciaret, ſive ſomno oppreſſæ aures non integrè haurirent FAMÆ mandata; varius, ubi admiſſus dies ſoporem excuſsit, in urbe rumor percrebuit. Confuſo quippe murmure ſpargebatur, Solem in CUNIS viſum eſſe, iiſque ſub Orientem cœpiſſe evolui. Error iſte primùm in foro celebratus, paucos occupavit; ſed deinde in plures propagatus, totam denique urbem invaſit. Imò per plurium ora eundo acquiſiverat vires: aliqui enim CUNAS in Sole, alij Solem in Cunis conſpectum eſſe volebant. Is FAMÆ luſus curioſum quendam Vatem excivit, qui calentem ſubitò venam in hæc confuſa rumoribus metra effudit. *Fama per urbem errores.*

Antiquos iterum renovat Sol aureus annos:
Quales Saturno regnante beatius ævum
Aſpexit, riguo cùm cælum depluit auro,
Et pura innocuum luſit Natura per orbem.
Cernis, ut è tenebris jam primùm Oriente fugatis,
Aureus exurgit Titan, Cuniſque Serenos
Evoluit radios?

Ita vena micuit: cùm in medio æſtu nunciatur, præſagum illud cæli oſtentum in foro confictum eſſe. Movit id bilem Poëtæ; quam ferè per meditatas diras in fabulæ auctorem evomuiſſet, niſi FAMA emendâſſet errorem; quæ, ſimul atque à Sereniſsimo Genitore digreſſa, cum genio inſcendit currus, Cæli præſagia evulgato felici partu explicuit. Nemo non collaudavit FAMÆ ſolertiam, quâ fabulas etiam ita adornaret, ut eventuum veritatem ipſis in figmentis reconderet.

His erroribus FAMA per urbem luſit: cùm illam jam ſcalas aulæ enixam duo nobiliſsimi Ephebi, qui officioſa humanitate hoſpites excepturi procurrerant, ad Sereniſsimum FERDINANDUM deduxère. *Genius & Fama ad Sereniſſ. Ferdinandum deducuntur.*

Inſomnem ille noctem in conclavi ſuo agebat, ſperato imminens eventui, pro quo crebris cælum votis pulſaverat. Ingreſſa ſubitò DEA (nihil enim obſtare poteſt eunti FAMÆ) ubi priùs ſacris manibus oſculum fixit, ſerena fronte: *Tandem,* inquit, O MAGNE GENITOR! *Lucina benignior votis indulſit. Evoluit moras Cælum. Natus eſt Hæres.* *Nunciat partum Sereniſſ. Prolis.*

Hæc locuta, ab imis præcordijs excitum ſpiritum collegit in ore, & natantem adhuc in labijs lætitiam proſpiravit in tubam, effuſa voce ingeminans: MAXIMILIANUS EMMANUEL.

Diſsipatus à tubâ clangor totam ſubitò aulam pervaſit, & ad CUNAS delatus non lacrimis, ut in infantibus fieri ſolet, implevit genas, ſed in gratam amœnitatem explicuit frontem: ut facilè conſtaret, NATUM HEROEM jam CUNIS agnoſcere adſtrepentis FAMÆ plauſus.

At Sereniſsimus Genitor, ubi prima gaudia ſecum tacitus abſolvit: jam abreptus ab eximia Deæ venuſtate, oculos per omnia oris lineamenta ſtudioſè deduxit.

Fama deſcribitur. Et illa divinum quoddam corpori decus afflaverat. Erat forma ab omni ſeveritate purgata, & ſerenis diffuſa radijs; niſi quòd principem quandam majeſtatem ſpiraret. acris oculorum fulgor, blandis ſubinde ignibus renidens, & qui in remotiſsima exporrectâ acie pertingeret. Genis Erythrea ſpuma Alpinis nivibus confuſa inerrabat. Labia explicata, & ex ea parte,quà tubam admittunt, decenti tumore erecta. Cæſariem in aureos fluctus promiſſam laurus temperabat. Niveæ alæ cæruleis plumis inſperſæ,ita fluctuabant in humeris, quaſi in aëre ſuſpenderent Deam. Pallam ad pedes fluentem demiſſa per thoracem tænia impediverat in ſuris, ita ſubinde laxata, ut ardentes in chalybe ignes crebris fulgoribus promicarent. Dexteram Tuba implevit: in læva nivea membrana aureo filo in ſpiras collecta hanc exhibebat epigraphen: Idea Futuri. Ipſa tuba, ex auro elaborata, cælato opere expreſsit aureum Pompeij montem, gemmeum Cæſaris thoracem, Othonis Magni Augustalem aquilam, Maximiliani Aureum Imperii pomum: quæ omnia artifex manus exiguis lamellis inſerta, ad eam tubæ partem illuſerat, quâ triumphales voces emittit.

Sed & Genius in animum induxerat, auguſtiorem Famæ formam acceſsiſſe. Omnem igitur vultum repetitis oculis perluſtrans, in cogitationem pervenit, quaſi indignaretur Dea, ſe parvam ante Heroem conſpici: neque ſuſtinere, quòd non in idem cum FERDINANDO faſtigium aſſurgeret.

Viſus eſt Genius profundè in Famæ animum penetrâſſe. Nam ubi erectum oris decus in Sereniſsimo Genitore conſpexit; quamvis & ipſa magnos animos verſaret, & tantis canendis laudibus non impares vires: verecundè tamen erubuit,quòd corpore inferior eſſet: quaſi jam tum Maximiliani ſui teneros artus ad adultam Maximi Patris majeſtatem exigeret. Id ipſum ſtimulos admovit jam pulchra æmulatione accenſæ, ut rupta exſpectatione, animi ſui ſententiam in hæc verba exponeret, diceretque.

Majora ſe corpore moliri, & quæ celeritate conficienda ſint: nihil enim remiſſè Famam *agere. Sereniſſimi ſui* MAXIMILIANI *virtutem eam fore, ut niſi alvei inſtar maturè in laudes, ceu fontes exoneretur, nova ſemper acceſſione ita ſuccreſcat, ut illi effundendæ nulla tuba ſufficiat. ſibi conſilium eſſe, advolare ocyùs in Italiam, & Sabaudiæ convenire Genium: quem & in partem admittat lætitiæ, & in communes ſecum curas adſciſcat.* *Bini conſiliū adeunda Italia.*

Gratum accidit Sereniſsimo FERDINANDO, Famam ultro in hanc mentem conceſsiſſe, ad quam ipſe tacito quodam voto ducebatur. Sed & Genio placuit, Deæ comitem accedere: ut antiquum amicitiæ fœdus renovaret, cum Sabaudiæ Genio initum: cùm feliciſsimos Sereniſsimæ ADELHAIDIS Hymenæos ad FERDINANDUM ſuum deduceret.

Gentilitios itaque leones currui admoveri juſsit, & Famæ quoque perſuaſit, ut & ipſa vehi mallet, tametſi alarum remigio ad volatum inſtructa. Priùs tamen, quàm diſcederet, ingens animum ardor ſtimulabat viſendæ dulciſsimæ

ciſsimæ PROLIS. Sereniſsimus GENITOR eadem cupidine abripiebatur: & *Prius Sereniſſimam Prolem cũ Genio ſalutat.* animi impetum jam vultu confeſſus: *Viſamus igitur*, inquit, O NATA! *chariſſimum pignus*: ſimúlque prehenſam manu DEAM conclavi educit, ſtipante utrumque latus cum Marte Genio: qui inter eundum commemorabat prodigioſam FAMÆ Metamorphoſin, quâ è ſimulacro ſuo humanos artus induiſſet: uti ſubitò ſpiraſſet ferrum: Caſsis in laureatam frontem, ſcapulæ in niveas alas abijſſent: ut dextram aurea tuba, ſiniſtram temerè in orbes convoluta charta impleverit. Addidit deinde per jocum: quomodo Mavors inopinâ lætitiâ perculſus, ferè & ipſe in chalybem obriguiſſet, ut vitam, quam inermis Dea ſpirabat, ipſe ferè amiſerit armatus. cœpiſſe enim ſubvereri, ſi tot ſimulacra ſibi animam induerent; invaſura procul dubio Martem: qui jam longo otio fractus, tot hoſtium incurſiones ſuſtinere non poſſet.

Hæc non ſine riſu narrante GENIO Mavors jam innoxium telum parabat, quod pari joco refunderet. Dum igitur in ludicra conſilia intendit animum, etiam oculorum acie in arcanum ſevocatâ, veſtigij immemor pedem ad imminentem fortè marmoris cruſtram offendit. Omnes quidem artus pervaſit pedis error: & ut quidem ſedulò illum corrigeret Mavors; trepidanti tamen dextræ eripuit enſem, & in pavimentum excuſsit.

GENIUS ferri lapſum in omen traxit: quaſi non deceret, armatum *Pacis omen.* Martem ad CUNAS ingredi, in quibus PACIFICUS PRINCEPS NATALES SUOS poſuiſſet. Induceret potius dextram olivâ, & in ſertum componeret; quo Nati Principis pacificam frontem conjungeret: à cujus ſerenitate ipſa Pax candidos dies ducere geſtiat, & publicas ſpes in oleæ germina floreſcentes. Hæc animi ſenſa cùm jam in verba diſponeret GENIUS, laxatus ſubitò poſtis Sereniſsimum Infantem obtulit ſubeuntibus.

Ferri ſonitus, & eliſum in marmore murmur, quod Mavors excitaverat, jam conniventibus oculis ſomnum excuſsit, & in ſeveras nubes contraxit teneram frontem: quam tamen Sereniſsimus GENITOR aſpectu ſuo in gratam iterum amœnitatem explicuit: qui ubi propiùs CUNIS admotus eſt, agnovit ſui ſimillimos vultus, & à Majorum lineamentis deductos.

GENIUS quoque curioſè expendit Principis faciem, & in illa veterum *E vultu nati Principis præſagia.* Heroum memoriam repetens: *In has*, inquit, *nubes præſagam frontem Achilles aſperavit, cùm illum Parens ſtygijs undis immerſit. Ita decenter Cyrus inhorruit, cùm illum Avi crudelitas paterna domo ejecit. Hac majeſtate Hannibal ad aram juravit Patri. Sic oculos MAXIMILIANUS AVUS, ſic ora ferebat, cùm magnum animum parvi in Cunis artus velarent.*

His formæ præſagijs dum GENIUS PRINCIPIS SUI virtutem inſpicit, tacitis iterum alis allapſus, ſomnus ſoporem inſpergit ferenæ fronti, & *Sereniſſimus Infans ſopitur.* obductis placidè oculis in reſpirantem vultum innoxiam mortem immittit. Fama ut celeriùs perflueret artus, jam natantem in oculis ſomnum his è tuba evibratis modulis demulſit.

Euge ſomne! delicatos
Funde nubium liquores:
Sparge nimbos, quos fragranti

Chloris educavit aurâ:
Sparge rorem, qui Sabæos
Solibus ſpiratus albis inter agros fluctuat.
Frons ſerenâ promicantes
Luce ſtellulas recondit:
Aureis capillus undis
Errat, atque liliatis
Purpurant roſeta labris:
Mille fundit os tenellum, mille fundit gratias.
Euge ſomne! linque curas,
Garrulóſque mentis æſtus:
Et ſilentes ſtringe pennas:
Cinge Cunas, mollibúſque
Pecte flabris, atque dulces
Pectoris reciprocantis ſpiritus expectora.

Hoc cantu dum FAMA jam ſponte languentibus membris inſpirat oblivioſum Deum; juncti ad frena jugales immani rugitu regiam compleverant. Timuit FAMA, ne inconditus belluarum clamor dormienti eriperet ſomnum. Nobiles igitur puppas, & digna Principe crepundia adpoſuit CUNIS: quibus, ſi ſopore ſolveretur, abſtergeret terrores.

Fama arcũ triumphalẽ dormienti apponit.

Erat FAMÆ exiguum, ſed ingenti artificio elaboratum opus; quod triumphales Romanorum arcus velut in nuce Iliadem complectebatur. Tota fornicis ſeries è Gemmis fabricata erat.

Eius deſcriptio.

Baſes cum epiſtylijs, quæ ſcapo inſederant, ex adamante canduere: ipſi ſcapi & coronides ex cæruleo ſaphiro ſculpti erant, quem aureæ maculæ, ſtellarum inſtar inſperſæ, diſcriminabant. Geminæ Pyramides pyropo fulſere, reconditis Ægyptiorum myſterijs imbutæ. Nihil verò elegantiâ Columnas æquaverat: quas ferè ars ſupra naturæ veritatem evexit. Exercebat in illis arma ſua Mavors, & magnas iras in parvo corpore ſpirabat. Pallas palmæ inoculaverat olivam: fulminanti Cæſaris enſi ſtylus erat appoſitus, quo triumphos ſuos exarabat. Cadebant ſub ictu Popæ vittatæ hoſtiæ. Alibi armorum cumulus ſe aptabat in trophæum. etiam togam GUILIELMI, & MAXIMILIANI ſagum ſpectare erat: & VICTORIS AMEDEI arma in aureis maculis gemma oſtendit. ut facilè conſtaret, voluiſſe peritiſsimum artificem varia Pacis bellíque ſtudia repræſentare.

Nobiliſsimum opus in partes ſuas diſcretum (nam facilè diſtingui & iterum componi poterat) Sereniſsimo Infanti FAMA dono reliquit: ut, ſi illas temeraria compoſitione inter ſe committeret, ſimul felici omine præluderet futuræ Gloriæ, & teneras manus ad virtutem erudiret.

Fama cum Genio ad iter ſe accingit.

Subinde dulciſsimo amplexu ſtringens Infantem, cum Genio inter Epheborum miniſteria egreditur Aulâ, inſcenſura Gentilitium currum.

Deſcribitur Gentilitius Principum currus.

Erat ille è ſolido auro elaboratus, OTTONIS MAGNI Wittelſpachij facinoribus variâ cælaturâ illuſis. Artis lineamenta nulla antiquitatis injuria deſtruxit; & tametſi jam quadringentos & ampliùs quinquaginta annos recenſeret;

cenſeret; exhibebat tamen integram OTTONIS virtutem, nulláque vetuſtate contactam.

Surgebant in auro præruptis gradibus Veronenſes pilæ; in quarum faſtigium cum ſuis ſubvectus OTTO oſtentabat IMPERIALEM AQVILAM, graſſatoribus aut obvio ferro hauſtis, aut in præcipitia devolutis.

Alibi nocturna ad Mediolanum pugna renovabat incendia pontis, & ferreum telorum imbrem, quo cives, ad reſtinguenda incendia procurrentes, oppreſsi ſunt.

Hoc Gentilitio curru ipſe MAGNUS OTTO Imperatoris legatus Byzantium intravit, & inde à Cæſare Princeps inauguratus, clariſsima aurigante FAMA Bojariam invectus eſt: in qua etiamnum inter vetuſtæ virtutis monumenta conſervatur.

Vix in ſublimem GENIUS cum Fama currum inſcendit: cum omni iterum frondium virore veſtitus occurrit Zephyrus: & variam florum tempeſtatem effundens agili penna, & ex ipſis auris compoſita, circumfluebat currum: & nova deinde officia pollicitus, addebat, ſe, ſi placeret, itineris comitem fore: temperaturum auras, ut lenius propellerentur bigæ: ſpiraturum odoratum imbrem; quo perfuſi, omnia ſuis odoribus implerent. Hæc dum Zephyrus garrula humanitate commemorat: frenatæ & ſponte obſequioſæ belluæ veloci curſu bigas rapuêre, jam ſublimes in aſtra vias ad illuſtrem Germanum affectantes; niſi aureo filo retractos monuiſſet Genius, ut in Alpes intenderent curſum. Propiores igitur ſecantes auras, ad Iſaram, notum ſibi flumen, egêre temonem. *Zephyrus comes accedit abeuntibus.* *Deferuntur ad Iſaram.*

Fortè bicornis ſenex & ſpumoſa canitie obſitus, rorantes in viridi herba artus expoſuerat, liberali adhuc ſomno & liquido pulvere perfuſus, propter diurnas decurſiones, quas cum Tritonibus ſuis in cærulo exercuerat. Et videbatur adhuc in vitreo campo circus virgultis intenſus: in quo infixi fluctibus pali ſuſtentabant pendulam metam, ex verſicoloribus lapillis in humanam faciem indutam.

Ipſe Corniger Deus ad illam lanceatus decurrit; & Principis ſui dexteritatem imitatus, plerumque pendentem è roranti cuſpide victoriam circumfert; ita equo per cærula lapſus, ut vix fluctuum apices tangat, ipſóſque Euros prævertat celeritate. Najades interea circum virgulta choreas plaudunt: pars ad pedum numerum adſtrepit modulos: pars ex ſalignis frondibus ſertum nectit, quod imponant victori.

Ex his equeſtribus ludis laſſos oppidò & multo ſudorre diffluentes artus reportaverat fluvius: quos dum in uligine dulci ſopore compoſitus abſterſit; fortè glaucos oculorum orbes circumferens, in fluctuanti ſpeculo conſpexit aureos currus, & ne incomptus occuparetur, ſubitò niveos floccos, qui barbæ & capillitio adhæſerant, in criſpatos rivulos depexuit: fronti pinnas, humeris injecit cæruleos amictus & hinc inde officioſis mæandris obambulans, jacentes per littora Nymphas hoc confuſo murmure excitavit è ſomno. *Fluvij ſtudia.*

Ite Deæ: vitreis percurrite cærula plantis:
Et tremulo componite fluctus

Marmore, ſpumantéſque ſalo virentibus
Ripas ſtringite frondibus.
Jo! ſerenas carpit è cælo vias
Sidereæ novus hoſpes aulæ
Donec coruſcas circinat æther faces;
Et Phœbi niveas rotas
Luna refuſo temperat igne
Stellulæq; flammulæq;
Lucidas agunt choreas,
Et per liquidi cærula cæli
Remiges orbes fatigant,
Genio laudes fundite Nymphæ,
Donec comatus ventilans Favonius,
Blandos Zephyris narrat amores:
Vdóque vitreus errans ore Nereus
Garrulas ſalutat herbas:
Aut jurgioſis cum lapillis litigat.
Nexili florum corolla
Genio frontem cingite Nymphæ.

Fama illi partûs gaudia nunciat.

Has carminum bullas in circumjecta littora deſpumavit Iſara: cùm FAMA explicatis ſubitò alis, quas in tergo collegerat, propiores flumini auras radit, & auream tubam in hæc expectata gaudia effundit: NATUS EST MAXIMILIANUS EMMANUEL.

Fluvij in natū Principem ſtudia.

Non continere potuit fluvius percepto hoc nuncio ſtillantem jam in lacrymas gaudiorum imbrem; ſed dulci tempeſtate perfuſus, nunc fluctuabat in gaudio: nunc ipſe ſibi gratulabatur, quòd undas novo Principi vectigales ferret. Et jam unum deſtinaverat ex Tritonibus oratorem, qui ſuo nomine NATO PRINCIPI diceret Sacramentum, vota ſua exponeret, & oraret jus, quod hactenus in ripas, & adjecta circùm nemora obtinuiſſet. Donum quoque delegit, fluviatilem concham, quam inter cimelia ſua repoſuit. Eam Thaumantias, cùm fortè flumen picturato arcu ſtringeret, dejecit in ſinum conjugis ſuæ Cymodoces, nativis coloribus inſperſam.

Latum omen.

Et videbatur ſibi argutus ſenex deſtinâſſe munus, quod ad Principes cunas pertineret: fore enim, ut ex PRINCIPE PROLE non minor ſerenitatis ſpes affulgeat publico, quàm ex Iride: & uti picta hæc Dea evolvat ex pluvio cælo ſolem; it Principem ortu ſuo explicâſſe ſuorum ſpes, quas robuſta nube jam pertinax exſpectatio obduxerat.

Hæc fluvius conſilia verſabat in littore: cùm illa ſubitus GENII adventus diſturbavit, qui cum FAMA allapſus imperavit trepidanti præ lætitia Deo, ut tempeſtivè pronis undis decurreret: & urbibus, quas alluat, tam exſpectatum nuncium aſpergeret: Nymphæ interea adjectas ripas coronarent frondibus, undarum ſpeculum nitidè detergerent: ut & ipſi colorati in fundo lapilli ex fluctuanti vitro gaudia proſpectare poſſent: Hoſpitibus denique, ſi qui adveniant, liquidis acclamationibus adſonent

His

His mandatis inſtructæ Deæ, dum per omnes fluminis ripas obſequioſa agilitate decurrunt: ipſe fluvius omni frondium viriditate veſtitus jam toto corpore undis innatabat, & cryſtallinæ urnæ, quam liquidiſsimis gaudijs impleverat, innixus, prono flumine defluxit, ad fundum uſque exhauſturus mandata. GENIUS quoque cum FAMA promovens currum, notas Cælo vias repetijt, & rapido curſu propulſus, inſequenti crebris oculis fluvio brevi eripuit conſpectum.

Genius cũ Fama proſequitur iter.

Tum primùm licuit Genio Fatorum conſilia verſare liberiora animo, & inchoatas feliciter ſpes examinare ad ſucceſſus. Perambulabant animum prodigioſi FAMÆ Natales, quos quidem ita detexerat Dea, ut tamen adhuc illorum exordia laterent. Quis animâſſet ferreos artus, quis repentè illis ſpiritus ſuffeciſſet, adhuc ſub incerto erat. Sed & alia lætitiæ argumenta, quæ ſub eventibus latentia crebrò promicabant, variâ mentem agitatione diſtraxerant. Hoc æſtu abreptus ſuſpenſos in chartam oculos defixit, quam FAMA in ſpiras colligatam ſiniſtrâ ferebat: & quaſi cum illa ſpes ſuas aperiri vellet, clementi obtutu dignatus FAMAM, oſtendit, placere ſibi, ſi arcana illa explicaret.

Sollicitudo Genij de Fama Natalibus.

Eius cum Fama colloquium.

Breviter ſubjunxit FAMA: ne interpellaret Fatorum induſtriam; pateretur ſeipſos expedire eventus, & occultas ſpes proferre in apricum: Ut tamen paucis perciperet, quid arcani charta reconderet; ſciret, in illa PRINCIPIS ſui virtutem exhiberi.

Hæſit GENIUS non nihil in ſe cogitatione collectus, & ut certiora prolectaret: *Virtus*, inquit, *meorum PRINCIPUM tanta eſt, ut jam dudum orbem impleverit: neque ſe tantillis anguſtijs conſtringi patitur; niſi fortè arbitraris, MAXIMILIANI Gloriam parvam fore, quia te parvam naſci oportuit.*

Verecundo pudore ſuffundi cœpit DEA, quòd audiret ſibi infantiam obijci. Brevì tamen emendavit vultum: & ferè indignabatur, quòd animi æſtus etiam in faciem proſiliret. Pulchro igitur adhuc rubore aſperſa; *Neque ipſam*, reponit, *virtutem pudet, in MAXIMILIANO TUO infantem conſpici. Parva nata ſum, ut cum PRINCIPE meo in magna adoleſcam; & ſoboleſcente ſimul virtute, ad eas perveniam vires, quæ triumphos, quos ille molitur, canere poſſint.*

Interfatus GENIUS: *Bellorum*, inquit, *neceſſitatem imponis; ſi MAXIMILIANUM MEUM in ſpem triumphi educas. PRINCIPES mei amari malunt, quàm timeri: hoſtes ſuos conſiliò potiùs, quàm armis debellant. & verò ſanguineum Bellonæ flagellum jam in Cunis intentabis? an ad illam ſtimulabis gloriam; quæ non niſi ſanguine paratur? Non tantùm foris*, ſubijcit Fama, *Mars arma circumfert: ſæpe periculoſiùs domi graſſatur. Intus patimur Thebas: Trojanum equum intra viſcera alimus; qui quaſi ex Cadmi ſemine effundit armatas acies, mutuis cladibus attrituras domeſticas vires. PRINCIPES noſtri bellum non inferunt hoſtibus, niſi ſe ipſos prius devicerint: digniſſimi de alijs triumphare, quia triumphum priùs de ſe ipſis ſtatuerunt.*

Ita ſermonibus alternantes, ferè Alpes evaſerunt: & placuit GENIO, quòd ſemper haberet FAMA, quod amicæ velitationi reponeret. neque tamen voluit diutiùs pertentare invitam: quòd ipſe jam conjecturâ proſpiceret even-

tus, & mallet gaudiorum nexum è cuniculis trahi. Interea explicati ſuis anfractibus montes in æquabilem planitiem porrexerant Italiæ campos: unus adhuc audacior eduxit ſublime caput. In illum GENIUS currum demiſit, ut inde ſublata in Cælum culmina, & ſubſtratum camporum æquor conſpectu obire poſſet; aliàs niſi curſum ſiſteret, pari ſecum velocitate abripienda.

FAMA in umbroſam vallem deſcendit, garrulo rivuli murmure invitata: qui vario errore per montes decurrens obludebat garrientibus lapillis. Dum ita loquacibus undis auſcultat; videt è cavo montis receſſu aurem quoque arrigere jocoſam Deam. quaſi & ipſa intereſſe cuperet arcanis, quæ cum undis miſcebat FAMA. Tacitis igitur alis allapſa, ut vires periclitaretur garrulæ Deæ, tubam admovet fatiſcenti cavernæ, cámque PRINCIPIS ſui inſpirato nomine provocat in certamen vocis.

Fama luſus cum Echo.

Confeſtim MAXIMILIANUS EMMANUEL per totam vallem confuſo murmure inſonuit. Viridis Nympha, quæ è regione excubabat, prima arripuit mutilatam vocem; & mira velocitate ad vicinum antrum deferens, cùm & in illo quædam ſpolia relinqueret; iterato ſemper luſu totam vallem implevit: & tandem languentem jam ſonum in extremo monte abſorpſit, non ampliùs reverſa.

Illam in PRINCIPIS ſui laudes invitat.

Non potuit Fama, tametſi celerrimis alis inſequeretur, aſſequi fugientem: quòd tamen adhuc vox pertingeret ad aures lepidæ Deæ, illam in PRINCIPIS ſui laudem hoc carmine revocavit.

Nympha ſilvarum vigil & jocoſa
Montium interpres, reſonans ſilentûm
Civis umbrarum, lepidus canoræ
Hiſtrio vocis.
Quæ ſedens cæcis oculata ſaxis,
Prodis auritum nemus, & loquacem
Involas prædam, ſpoliúmque vocis
Garrula carpis.
Sive confuſis vitreas fluentis
Rivuli errores oneras querelis:
Sive Narciſſi gemis inter undas
Flebile fatum.
Mitte clamoſas trepidantis Euri, &
Arborum rixas, aviúmque cantus;
Principem ſeſe geminante noſtrum
Carmine plaude.

Hoc carmen, quod FAMA mirâ ſuavitate cecinit, arrectis iterùm per totam vallem auribus excepit vocalis Dea: & ſubinde extrema decerpens, poſtrema voluit audiri. FAMA quoque nihil ultrà adjecit, niſi tacitum votum; quo ardebat, agiles Nymphæ linguas & aures inſerere tubæ: quaſi ſui in PRINCIPIS laudes non ſatis inſtructa eſſet. Subinde libratis in cælum alis enixa eſt in currum; & jam in veteres cum GENIO ſermones delapſa, ferè temeraſſet arcanum: niſi nova cura pervertiſſet intempeſtivum conſilium.

Fama proſequitur iter.

Cùm

Cùm enim pertinaci quæſtione laſſaretur à Genio, neque ultrà differre poſſet abſtruſas in folio ſpes: jam verba diſpoſuit, quibus illas proferret: & interea viſum per omnia curioſè circumferens, eminus Eridanum conſpexit, lucidas eructantem nubes, quaſi adhuc à Phaëthontis incendio fumaret.

Ad Eridanum digreditur.

Glaucus Deus, & fuliginoſâ nigredine à Solis ignibus aſperſus, in herboſo thoro conſederat, ad viridem alnum, & extractos è vitrea concha uniones inſerto aureo filo collegit in coronam: quam ei nuper, cùm Adriatici Maris connubia celebraret, Nympha confregerat.

Fluvij ſtudia.

Sertum hoc mirè in delicijs habebat Deus: & quoties unionem aptabat, libabat illi oſcula, liquidis ſuſpirijs luctus geminans, quibus mœſtæ Sorores fratri aquis ſubmerſo parentârunt, lachrimarum ſtillis in has gemmas converſis. Ipſa alnus, ad quam Cæruleus Deus aſſedit, effudit lacrimas; quoties gemmam verſaret: quaſi reſtauraret dolores, quibus Fratris flebile fatum luxit; priuſquam ſe in hanc arborem induit.

Fama in ſublimi curas Eridani ſpeculata, quòd cuperet illi partem lætitiæ affundere, ſuſpenſas alas demiſit ad alnum. Neque Deus pennarum murmur advertit; viridi cæſarie, quam per humeros in rorantes cincinnos promiſerat, etiam aſpectum auferente. Dea propiorem admovens gradum, inobſervata pervenit ad dextrum latus: & adjectâ ad aures tubâ, inſpiravit dulciſsimum & notum fluvio nomen HENRIETA ADELHAIDIS.

Famà illi nuncium aſpergit NATI PRINCIPIS.

Subitus tubæ clangor & ad incogitantem delapſus, trepidanti Seni omnem ferè ſenſum ſubmovit: brevi tamen reſtituit ereptum terrore animum Fama. Nam placidâ fronte in oculos incurrens paucis edixit, Sereniſsimæ ADELHAIDI Principem natum esse.

Ferè gaudio diffluxit fluvius, inexſpectato hoc nuncio obrutus: & quòd videret Deam exſplicare in volatum alas; reluctantem injectâ manu inhibens, cùm nihil proficeret, injecit collo ſertum. at illa mira volubilitate evaſit diffluentes fluvij manus, & pennis celeriter concuſsis avolavit cum præda. Fluvius fugientem per auras Deam his carminum mæandris inſecutus eſt.

Siſte Dea! *volucri cur rapis Cælum fuga?*
Aëriáſque plagas
Pennis fatigas ſtridulis?
Nec ſperne vitreos Cæruli Dei lares
Gramineúmque thorum,
Herbis maritos floſculos.
Inter virentes fluctuat aquarum domos
Picta ſeges lapidum,
Stillæque Solis igneæ.
Guttæque Stellarum, & madentis ætheris
Deciduæ lacrymæ,
Tortique cruſta fulminis,
Gemmæque primis educatæ Solibus;
Quas virides Driope
Reſoluta crines, vitreo

Piſcatur hamo. Carpe gemmas Cæruli
Marmoris, atque tuo
Compone ſertum Principi.

Taurinum Principem urbem ingreditur.

Dum hoc carmen Eridanus ingenti per littora excito dolore jactat in auras, non tam ablatâ coronâ, quàm fugâ FAMÆ turbatus; evaſit illa ex oculis: nam in ſummas cum GENIO nubes enixa eſt, ut in ſubjectas Pedemontij urbes liberum aperiret proſpectum: quem, ſi depreſsiùs agerent currum, educti ad cælum montes eriperent.

Ubi verò TAURINUM Principem urbem agnovit, novis accenſa ſtudijs: *Occupabo,* inquit, *jugales, & celeri volatu, tranſmiſſis, quæ ſuperſunt, cæli ſpacijs, ſubitis implebo gaudijs Sereniſſimam domum.* His dictis rectà per nubes delapſa, per compendia montium diſtinguens anfractus petijt urbem, ad montium radices ſitam.

Videre incolæ DEAM ſerenas Cælo carpentem vias: hauriebant liquidas voces, incerti adhuc, ad quem iſta gaudia pertinerent. Ubi verò alas propiùs admovit aulæ & lucidiſsimo orbe circumſcripto, ipſa ſubivit tecta; certiori ſpei jam magni quidpiam præcipientem animum permiſere.

Nemo in aula advertit Famæ ingreſſum: nam tectâ tubâ alas etiam in tergum rejecerat: ne ſtridore percelleret auras. tacito quoque & ſuſpenſo veſtigio errabat per atria agilis DEA, &, niſi clangore prodatur tubæ, omnium effugiens conſpectum. Facile igitur illi erat, fallere vigilum oculos, dum ad Genium perveniret, cui primò gaudia deſtinabat.

SABAVDIÆ GENIVM in Principe aula convenit.

Ita jam ſui ſecuram marmorei gradus ſine arbitro ad aulam perduxere, quæ in ingens exporrecta ſpatium æquabat Principum ſuorũ magnificentiam. Solum marmore conſtratum erat, quod vario venarum errore terra illa progignit. Laquearia ex auro ſuſpenſa, referebant cælum in ſua ſigna diſtinctum. Parietes, ubi ſtatuæ non occupaverant, aulæa veſtiebant: quæ filis vitalibus picta, loquebantur antiquam ſuorum Principum virtutem, quam ipſa quoque marmora ſpirabant.

Amedei Magni laus.

Ipſe SABAUDIÆ GENIUS ad menſam aſſedit, ex antiquo volumine Heroum ſuorum facinora recenſens. Jámque repetita virtutis ſucceſsione ad AMEDEUM QUARTUM pervenerat; in quo ſubita ſecum cogitatione defixus: *Nihil magnum eſt,* inquit, *quod* AMEDEI MEI *non efficiant: huic præclara virtus, quæ Rhodum Inſulam expugnavit.* MAGNI *nomen peperit.*

Illam in Aulæo depictam videt Fama.

Excepit has laudes FAMA, & clam aulæo admota, in quo BEROLDI Aquilam ab OTTONE IMERATORE aureo ſcuto inſertam precioſis plumis acus efformavit, cæteram quoque picturam feſtinatis perlegit oculis: donec tandem Inſulam Rhodum è mari filum eduxit. Agnovit in pictis armis AMEDEUM FAMA, virtute ſua omnium animos ſuſtentantem.

Ominoſa inſcriptio.

At ſuſpenſos tenuit oculos argentea crux rubri coloris, clypeo inſerta, cui Phrygia acus ominoſum hoc emblema, FERT, inſcripſit.

Illam explicat Genius.

Ominis ſenſum dum FAMA tacito ſuffragio ad MAXIMILIANUM ſuum transfert, Genius totam ferè AMEDEI virtutem, quàm FAMA telâ deſcriptam vidit, recognovit è libro: & cùm ipſe argenteam crucem verſaret oculis: *Quàm præclarum,* inquit, *in res humanas virtutis eſt imperium! Vir-*

tus AMEDEUM *meum terris eripuit, & etiamnum fert in oculis. Vnico verbo,* FERT, *exhibet poſteris:* FORTITUDINEM EIUS RHODUM TENUISSE.

Fama hoc victoriæ monumentum etiam tubæ inſeruit; & omnem iterum percurrens picturam, ad AMEDEUM QUINTUM traduxit oculos, quem in fulgentibus armis ita effigiaverat acus; ut videretur admotis ſcalis evadere in muros obſeſſæ arcis: & præcipiti ſaltu ſe mittere in ſubjectam foſſam. Et pauliſper animo ſuſpenſa: *Habet*, inquit, *& ſuos* SABAUDIA *ALEXANDROS, qui ipſa etiam munimenta tranſiliant.* Deinde AMEDEUM SEXTUM obtulit aulæum, qui calentem virtutem, dum ferveſceret adhuc prima ætas, in ludicra decurſione cum ſuis exercebat armatus. Temperabat armorum fulgorem gratiſsimus inſperſus viror: in galea quippe virides criſtæ fluctuabant, & pictis in tapete ventis criſpandæ committebantur. Sagulum & ipſum viride, percurrebat humeros, equis virentibus phaleris ad pompam potiùs, quàm belli ſpeciem ornatis. Crederes non cruento Marti ſed venatrici Dianæ litari.

Amedei quinti memorabile facinus.

Amedei ſexti ludicrum duellum.

GENIUS eundem pugnæ luſum annalibus recenſens: *His armorum tentamentis,* inquit, *PRINCIPES mei Martis aleam explorant. Illa* AMEDEO QUARTO *illuſtrem gloriæ memoriam conſervavit. Quòd enim in ſubornato certamine palmam eriperet jocoſis hoſtibus, viridi cum proceribus ſuis cultu indutus; in victoriæ monumentum* VIRIDIS *appellationem obtinuit: & eo veſtitu, quem in reliqua vita ſolennem habuit, tum etiam inceſſiſſe fertur, cùm equites* DIVÆ VIRGINI AB ANGELO SALUTATÆ *initiaret.*

Quare viridis dictus.

Vidit Equeſtris Ordinis inſignia FAMA in aulæo depicta, aureum ſcilicet torquem triplici gemmarum ordine conſertum. Ab ipſo monili pendebat aureum numiſma, quod tam vivis coloribus expreſſerat DIVINAM LEGATIONEM; ut videretur verba quærere Cæleſtis Nuncius, quibus DIVÆ VIRGINI arcana enuntiaret; & ipſa DIVA ſecum perplexa luctari, & modeſto vultum rubore ſuffundi.

Ordo equeſtris Divæ Virginis ab Angelo Salutatæ.

Per hæc naturæ veriùs quàm artis lineamenta, dum oculos ducit Fama, & auſcultat vitali acûs picturæ, GENIUS magni quidpiam de AMEDEO SEPTIMO commemorat: quod tamen cùm ad aures Famæ non pertingeret, preſſo veſtigio ſe propiùs GENIO admovit, Ille pertexens AMEDEI laudes. *Hujus,* inquit, *præclara virtus & eximia in* SIGISMUNDUM IMPERATOREM *merita primum Sabaudiæ Ducem effecere. Quàm glorioſè ſuſtinuerunt honores iſtos* CAROLI MEI *&* PHILIBERTI! PRINCIPES MEI *non tantùm ſanguinem à Majoribus ducunt, ſed etiam virtutem. Quàm immortale nomen armis adeptus eſt* VICTOR AMEDEUS! *Quantâ etiamnum gloria fruitur* CHRISTINA! *Quàm præclara virtus* CAROLI EMMANUELIS *in oculis verſatur! Quid denique magni de* HENRIETA ADELHAIDE *fama non recenſet!*

Amedeus ſeptimus primus Sabaudiæ Princeps.

Hæc Principis ſuæ ADELHAIDIS laus FAMÆ liquidum ſuſpirium expreſsit: & quòd animi æſtum continere ampliùs non poſſet, tacita ſecum: *Quid ultrà,* inquit, *gaudia diſſimulo? implebo gratiſſimo nuncio* GENII *pectis, & morâ ſuâ liberabo vota.* Jamque verba colligentem, quibus gaudij magnitudinem explicaret, aliud conſilium abſtraxit GENII aures: & ut lætitiam cumularet, malebat illam ex abdito intendere. Ita oculos per aulam ſtudioſè circumferenti, occurrit ſtatua CAROLI EMMANUELIS, ex mar-

Laus Sereniſſimæ Adelhaidis ejuſq; Progenitorum.

Fama Sereniſſimum partum annuntiat Genio.

more ita efficta; ut cavis receſsibus hoſpitem admitteret. Subivit Fama ſimulacri latebras, & collectis viribus tubam in has voces velut oracula reſolvit.

Audite cava marmora, triumphales Patrum
Et laureatæ imagines.
Audite PHILIBERTI, AMEDEI, CAROLI,
Orbiſque magna nomina.
MAXIMILIANUS NATUS EST EMMANUEL:
Qui candidis natalibus
Illuxit orbi, & aſtra, ſcandens, arduum
Cum Sole dividet jubar.
Famámque ſummo terminabit æthere
Heres AVITI NOMINIS.
Illum decorâ vincta lauro, gloriæ
Micantis inter fulgura,
Virtus ſerenis inſequetur paſsibus:
Intérque laudum adoreas
Invecta niveis FAMA bigis, PRINCIPEM
Totum per orbem differet.

Bavariæ Genius ad aulam venit.

Huc nuncio dum Fama in magnas ſpes incumbentem Genii animum varijs affectibus divellit; BAVARIÆ GENIUS, jam montes eluctatus, advertit ad aulam currum. Duo Ephebi, qui primi jugales ad Regiam celerare greſſus proſpexerant, confeſtim, nunciant Genio, advenire hoſpitem; & quantùm è veſtibus conijci poſſet, peregrinum: vultum tamen humano auguſtiorem eſſe, & magni quidpiam ſpirare.

Genius ex repentino nuncio in novas ſpes deductus: *Quid ſi*, inquit, *peregrinus hic interpres detegat ſtatuæ præſagia?* Simul è curuli ſella conſurgit: & ut occuparet humanitate hoſpitem, per ſcalas celeriter delapſus, ubi

Excipitur à Sabaudiæ Genio.

BAVARIÆ GENIUM ex vultu agnovit, ivit in amplexus: & ægrè colligens afflictam gaudio vocem: *Quis*, inquit, *O FRATER! in has oras te deduxit? non enim humano conſilio huc advectus es: nam & marmora adventum tuum loquuntur: & illa, quæ animo volvis arcana, manifeſtis oraculis edicunt.*

Edocet illum de Principis ſui partu.

BAVARIÆ GENIUS ubi priùs dulciſsimum FRATREM omnibus amoris obſequijs deveneratus eſt; paucis expoſuit: impleviſſe cælum vota: natum eſſe Principem Sereniſsimæ ADELHAIDI: noluiſſe ſe communia gaudia celare Cognatas ædes: iret modò, & ipſe ſecum viſeret chariſsimum pignus.

Nihil adjecit Sabaudiæ Genius, ſed confeſtim Gentilitias Aquilas ad currum jungi juſsit: & ſecretùm deinde locutus FRATRI, amica manu deduxit in aulam.

Fama è ſtatuæ latebris prodit.

Vix verò limen ingreſsi ſunt: cùm Fama è cavis ſtatuæ latebris egreſſa, prodivit in conſpectum.

Auguſtior videbatur: nam ſpirans in marmore CAROLI EMMANUELIS virtus illi Majeſtatem afflaverat. Supplici verò nutu venerata Genium, excuſavit, quòd tot nexibus implicuiſſet exſpectationem, & longa

frustra-

fruſtratione extraxiſſet vota: addens, ſolere FAMAM plerumque ſibi omina præmittere; quæ deinde gratioſiùs exſplicet in lucem.

SABAUDIÆ GENIUS in ſe cogitatione abductus, meminit ominoſæ noctis, quam non pridem in aula ſua per varia oſtenta exegerat.. Tum quaſi vatidico furore correptus: *Adſpiret*, inquit, *cœptis Numen, & ſpei exordia in deſtinatos ſucceſſus deducat. magni quidpiam præſagit animus: ſed jam reſerari poſſunt arcana.*

Jugales quippe Aquilæ currum jam ad penſiles hortos admovere; qui propter aulam, pulcherrimam arborum florúmque ſcenam produxerant. Gentilitij Leones, qui GENIUM BAVARIÆ adduxerant, eandem viam inſtiterunt, & ita bigas admoverunt aulæ; ut Genius facilè inſcendere poſſet.

Aquilis gemini Ephebi impoſiti, qui frenatos moderarentur alites; alios duos, qui id prolixa humanitate à BAVARIÆ GENIO flagitabant, Famulo Leones tergo excepere. Ipſi cum FAMA GENII Epheborum miniſterio in currus erecti promovebantur in cælum. Avolantibus vates hoc Propempticon projecit in auras; quod FAMA porrectâ tubâ excipiens, ita cecinit auſcultantibus Divis. *Cum utroque Genio iter in Bavariam ingreditur.*

Ite, & purpureis ſcandentes aëra bigis,
Carpite Solis iter: quà ſe ſine nube, ſerenum
Indulget cælum, tremuliſque è Solibus ignes
Combibit, & liquidas fulgoribus explicat auras.
Fallor, an applauſus inter fremitúſque ſonantes
Divulſæ, abſcedunt nubes? latéque vibratis
Ignibus affulget Cælum? clara, ecce! micantes
FAMA ſuos in cæruleo movet æquore currus.
Alma præit virtus, auráſque invecta coruſcas
Temperat, & palma frontes viridante coronat
Jam meritas. Guttis circùm fragrantibus halat
Tempeſtas: nubes inter tamen aureus æther
Emicat, & terras fragranti perpluit imbre.
Vidi hodie, quales vobis procuderit annos
Purpureus Titan, quaterent cùm frena jugales
Correpta, & primas Oriens afflaret habenas.

Imperfecto carmini volebat FAMA imponere ultimam manum: ſed SABAUDIÆ GENIUS, quòd jam multùm proceſſerant currus, cupiebat arcana ſua, quæ ægrè ſuppreſſerat animo, proferre in lucem. Ut igitur opportunitatem ſibi aptaret, quærit ex Fama, quo die MAXIMILIANUS EMMANUEL ortu ſuo ſerenaverit orbem? *Sereniſſimus hic SOL*, inquit, *jam affines LEONI radios explicuit: affulſit noctem, quæ felici ſidere diei præluxit, quem undecimum Julius egit. Bene eſt*, reponit GENIUS, *ea nocte quid mihi contigerit, recenſebo.*

Avidiſsimas aures arrexit FAMA; & jam magni quidpiam præcipiens, paravit ad encomia tubam: cùm GENIUS ipſis jam ſilentibus auris ſic exorſus eſt.

Sabaudiæ Genius viſa in Aula ſua oſtenta recenſet.

Jam diffugiente die adductis tenebris cælum inhorruit, & nigris alis allapſa nox dulciſſimo ſopore compoſuit mortalium mentes: vigilabat tamen ardentibus oculis ſubluſtre cælum, & tacitam ſtellarum fugam diſponebat in æthere. Ego in penſiles hortos, propter principem aulam conditos, aſcendi, placidâ noctis quiete invitatus: nam omnia altum ſilentium occupaverat; niſi quòd obſtrepentes Zephyri vario ſuſurro ludebant per arborum comas.

Liberiore animo curas laxare cœpi: cùm ecce! lucidiſſimus ignis demiſſus cælo ſinuoſis orbibus auras deſcripſit: & extremis primùm tectis inhærens, ipſam deinde aulam invaſit. Timui, ne ſubita flamma corriperet ædes: lucidi quippe radij, indices inteſtinorum ignium, jam feneſtras inſederant. Ad fores igitur accurrens, ubi peſſulum removi, vidi totam aulam ſerenis fulgoribus collucere, & exercitati vultûs Amazonem per marmora moliri greſſus.

Ignota Dea in aulam ignis inſtar delabitur.

Illius deſcriptio.

Procero erat corpore, & ad magnificentiam compoſito: frons exporrecta, & vividâ quadam ſerenitate diffuſa: acres oculi, qui percellerent intuentes, & blandos ſimul adſpirarent ignes. Genæ nullo ſtibio aut ceruſſa efficta, ſed nativis coloribus inſignes. Crines in aureos fluctus explicati, partim permanabant humeros, partim injecta caſſide cumulabantur in vertice. veſti intextus leo fuluas in auro jubas criſpabat; quem cærulei rhombi, retis inſtar candido filo interfuſi, vario gemmarum nexu concluſerant.

Hac narratione Fama ſecum ſuſpenſa: *An,* inquit, *ad me pertinent, quæ* Genius *commemorat? Equidem ſic ora ferebat illa Dea, quæ hos artus ex chalybe FERDINANDI MEI effinxit. At ſinam* Genium *pertexere reliquam Fatorum induſtriam.*

Ille renovans ſermonem: *Ita,* inquit, *dum* Dea *perplexo obambulat veſtigio conclave, in circumpoſitas* Meorum Principum *imagines conjecit oculos: & acri cenſura omnium expendens vultus, neſcio, quæ lineamenta in diſpoſitas tabulas referebat. Exiſtimabam, illam traducere in chartam* Principum *effigies: ſed propiùs admotus, vidi varias imaginum ſimilitudines confundi. Septem erant tabulæ ex media parte jam ominoſis figuris impletæ: illas ſubitò penicillo ita inſtruxit* Dea, *ut omnes ſuis numeris & coloribus abſolveret.*

Emblemata in tabulis depingit.

Cerneres in prima Polarem ſtellam in picto Cælo tam ſcitè penicillo accenſam, ut putares ab illa dirigi fluctuantem in pelago navem. In altera ſub gementi incude varia Pacis bellique inſtrumenta fabricabant colores. In tertia Sol in undis reverberatus repetebat pictos radios. Quartam divite vena collectus fons effuſis undique rivulis perpluebat. Quinta coloratis alis inſtruxerat Mercurium, cum caduceo per auras natantem. In ſexta regulam terræ infixam ſpectare erat, & alteram aquis immiſſam, obliquare ſui imaginem. Ultimam denique ſtriata imago implicaverat: quæ, quoniam ex una tantùm parte ſe oculis offerret, ceterum aſpectum in plicis quaſi fluctibus immerſit. Sed & prima triumphalis arcûs lineamenta in folio expreſſerat, quod hæc ominoſa ſignabat epigraphe. Idea Futuri. *Ego tot oſtendis confuſus, cùm jam affari vellem* Deam, *ſubitò effugit è conſpectu.*

Hæc confuſa omina Bavariæ Genium in varias ſpes deduxere: nam ad domeſticam felicitatem pertinere, argumento erant, Gentilitius Leo, & injecti veſtibus rhombi: ſed in cogitationem quoque delapſus eſt, an non eadem arcana

cana

cana in charta ſua FAMA reconderet: occurrebat quippe animo, quòd dixiſſet FAMA: in illa occultas ſpes triumphi contineri.

FAMA ex vultu conjecit genium in novas curas demerſiſſe fluctuantem animum. Jam igitur volebat amovere arcana: ſed Iſára, qui ingentes clamores in circumjectis ripis exciverat, turbavit conſilium.

Nam uti ex Tritonibus, quos nuncios præmiſerat, intellexit, GENIOS jam propiores Bavariæ currus agere, ſubitò inſtructâ Liburnicâ pronis aquis obviam delapſus, conſtitit ad ripam: & toto vertice aſſurgens, ubi GENIOS conſpicatus eſt, amicè invitavit, conſcendant paratum navigium; neu dedignentur Cæruleum iter: ipſum Phœbum, ubi æſtuantes campos decurrerit, feſſos jugales imponere Nereo, & adhærentes ignes ſuperfuſo æquore abſtergere. *Genij cum Fama ad Iſaram deferuntur.*

Placuit omnibus, & cumprimis SABAUDIÆ GENIO obſequioſa fluvij ſedulitas. Et cupiebant pertentare inexpertam hactenus viam. Demittunt igitur currus: quos fluvius commodato dorſo excipiens, expoſuit in parata cymba.

Erat illa omni frondium viriditate ornata, & in Delphini fabricata ſimilitudinem. Cavo ventre hoſpites receperat, pinnis tonſarum inſtar exertis; quas inſidentes Nymphæ ita temperabant, ut ſimul leni ſtrepitu plauderent aquas, & propellerent navigium: cauda in cæruleos implexa mæandros ventilabat auras: Collum Triton inſederat, qui in vitrea urna colligebat ejectas è fiſtulis undas, quas in tenues guttulas criſpatas, ſpargebat in ſalientes circum Nereides. Proteus prono flumine procurrens verrebat undas, & in æquabilem planitiem explicabat. Ipſe fluvius ſuppoſito tergo ferebat navigium, ferè gaudio diffluens, quòd tanta ſibi pignora crederentur. Najades ſonantibus crotalis adſtrepentes, ducebant choreas, vitreis pedibus ad ſymphoniæ in choros diviſæ numeros decorè exactis. *Navigij deſcriptio.*

Plaude Nympha FERDINANDO
Plaude MAXIMILIANO.

Ille ſumma ſcandit aſtra,
Solibúſque ridet albis.
Hic paterni regna cæli
Lætus occupabit Heres.

Lude Nympha FERDINANDO.
Lude MAXIMILIANO.

Dum diurno Phœbus igne
Lucidum percurret orbem:
Et recepto Luna vultu
Siderum diſperget agmen.

Plaude Nympha FERDINANDO
Plaude MAXIMILIANO,

Ille vitri fluctuantis
Cærulas amavit ædes:
Hic fluentis inquilinas
Marmoris probabit undas.

Lude Nympha FERDINANDO
Lude MAXIMILIANO.

Dum vibratæ fluctus undæ
Hoſpites vexabit herbas.
Et maritis obſtinatus
Murmurabit cum lapillis

Plaude Nympha FERDINANDO
Plaude MAXIMILIANO.

Ille cæca fulminantem
Inter antra fixit aprum:
Hic volantes emicante
Inſequetur glande cervos

Lude Nympha FERDINANDO
Lude MAXIMILIANO

Dum virentes explicabit
Evoluta ſilva frontes,
Et ſonoris obſtrepentes
Abjetes loquentur Euris:

Plaude Nympha FERDINANDO
Plaude MAXIMILIANO.

Appellit fluvius navigium ad urbem.

Inter tripudiantium Nereidum choros pacato æquore propulſa navis ibat ad Urbem: niſi quòd, ſi Nymphæ ad numeros agitarent pedes, etiam cymba aſsiliret, fluvio decorè ſe commovente. Tandem in viridi ripa expoſiti ſunt propter pontem, & exſcenſione facta, Fama ſubitò diffuſa, circumjectas primùm ripas, deinde totam Urbem implevit.

Placuit Geniis terreſtre iter inſiſtere, & per Urbem adornare reditum. Per ſuſpenſos igitur enixi colliculos, qui temerè per ripas ſurrexerāt, evadūt ad portas. Ingreſsis tota urbs effuſa obviam, vix ſpacium fecit, quo currus promoveret.

Tenerior ætas feneſtras impleverat, præſagâ quadam lætitiâ diffuſa: gaudebat quippe, non multùm inæquales annos cum Principe ſuo numerare.

Ita per confrertam populi ſeriem liquidis acclamationibus deductos, aula ſuâ tandem exſpectatione abſoluta excepit.

Fama ad Sereniſſimum Maximilianum adit.

Nihil antiquius habuit Fama, quàm ut ſtatim, ac FERDINANDO ſuo ſubmiſſum oſculum fixit, ad MAXIMILIANUM reviſeret. Non ferrati poſtes, non armatæ ſatellitum manus, non aulicorum humanitatis officia obſtare poterant eunti. Perrupit omnes moras, & tandem ad Cunas penetrans, amabili brachio incinxit tenerum infantem, & ſerenos vultus libans oſculis, liquidiſsimum gaudium expreſsit. Ubi verò primos æſtus exegit: tametſi recurrentibus gaudijs, in eoſdem iterum affectus abriperetur; in poteſtate tamen habuit animum, & ad nova adjecit conſilia, quibus implicatam hactenus eventuum ſeriem abſolveret.

Arcum triumphalem à ſe compoſitum contemplatur.

Dum igitur in has curas intendit animum: Genii cum Sereniſsimo FERDINANDO jam omni humanitate defuncti pervenêre ad Cunas, & cùm & ipſi prolixè litarent amori, quem illis è Cunis MAXIMILIANUS adſpiraverat, Fama per conclave circumducens oculos, conſpexit triumphalem arcum, quem in ſuas partes diſtinctum dormienti MAXIMILIANO, priùs quàm Sabaudiam peteret, dono reliquit, ita inter ſe compoſitum, ut omnes partes pulcherrimo nexu convenirent. Sublimiorem verò ſtationem occupaverat, quàm ut

tò

eò porrectis manibus pervenire poſſet. alis igitur à terra leviter promota, arripuit ſtructuram; & obliquo veſtigio Cunas repetens, protenſo arcu, ut omnium incurreret oculos: *Quis*, inquit, *novus HERCVLES hæc virtutis præſagia in Cunis edidit?*

Ea voce omnium animos in ſe convertit. SABAUDIÆ Genius, ubi propiùs adjectis oculis omnes Arcûs partes ſtudioſè veſtigavit. *Hic eſt ille arcus*, inquit, *cujus prima lineamenta Amazon illa à PRINCIPVM ſtatuis duxit.* Tum ad FAMAM converſus: *ediſſere, Ô DEA! unde tam nobile opus profluxit? nam plùs quàm humana manus videtur, quæ tam luculentas triumphi ſpes expreſſit.*

FAMA fronte in amœnam ſerenitatem diducta: *Quando*, inquit, *hæc te cura iterum remordet, amovebo arcana.* Simul ab extracta è veſtibus charta aureum filum, quo ſpiras induxerat, reſolvit: & niveam membranam excuſsis nitidè plicis explicuit in aſpectum. *Ejuſdem idem in chartæ exhibet.*

Candidum folium triumphalis arcûs impleverat, illi ſimillimus, quem à FAMA relictum Sereniſsimus infans compoſuit: niſi quòd partes, quas in illa gemmarum animabat fulgor, in iſto color ſimularet. Dextræ baſes Maximi AVI & GENITORIS laureatas effigies referebant: ſiniſtris Sereniſsimæ AVIÆ & GENITRICIS amabiles vultus inſcripſerat penicillus. Scapos varia Hiſtoriarum monumenta diſtinxere. Zophori ſuſpendebant Gentilitia Principum arma, hac inſcriptione animata: MAXIMILIANO II. Summo arcui Pyramides inſtitere, & auratus Solis currus, ita effigiatus, ac ſi purpurei jugales ex æſtuanti novis ignibus Oceano reveherent Orientem diem Spatium utrique columnæ interjectum, boni augurij epigraphe ſignabat. IDEA FUTURI. *Illius deſcriptio.*

Dum GENII Arcum confuſis admiratione oculis perluſtrant, neque expleri poſſunt tuendo: FAMA concepit verba, quibus arcana, quæ hactenus profundâ ſimulatione contexerat, explicaret: & ubi omnium animos in ſe ſuſpendit, propiorem Cunis admovit greſſum, & vultum præſago quodam æſtu aſperſa: *Boica* VIRTUS, inquit, *Quæ Principibus noſtris* FAMA *peperit, eadem triumphos ſuos in hoc arcu incluſit. In has ſpes* MAXIMILIANUM *meum genuit. Recordor auguſtos vultus, quos & mihi ſerenis radijs indulſit: cùm hos artus ex* FERDINANDI *noſtri ſpirantibus armis efformavit.* *Famæ originem refert triumphalis Ideæ.*

Deinde ad SABAVDIÆ GENIUM advertit oculos & : *Hæc eſt*, inquit, *illa Amazon, quæ ignis inſtar delapſa Cælo, coloribus animavit chartam: illa lineamenta gloriæ à* MAIORIBUS *tuis deducta ita in hanc membranam congeſſit; ut meorum quoque* PRINCIPUM *virtute impleverit. Illa avitam gloriam ſuis expreſſam coloribus, ut ipſe vidiſti, in tabulis renovavit. Et ſi generoſa Cupido ſtimulat animum, ite in laudes* HEROUM*: recenſete utriuſque Domûs decora. Colligam ego in MAXIMILIANO meo diſperſas Majorum virtutes.* *Et emblematum.*

Gratum accidit utrique GENIO, in PRINCIPUM ſuorum laudes reverti. Et jam conſidente Sereniſsimo FERDINANDO, ipſi quoque occupaverant latus, tam nativâ venuſtate, quàm corporis ornatu inſignes.

BAVARIÆ GENIUS ad ſolitam vultûs lætitiam etiam Majeſtatem adjecit, quæ ipſi à Sereniſsimo FERDINANDO adſpirabatur. Tunicam, quæ priùs per humeros fluebat, ita explicuit; ut omnis intexta ſcriptura incurreret in aſpectum. Cernebatur famoſum illud prælium in aureo filo conſeri, & vario gemmarum ardore accendi. Calcabat hoſtium cadavera MAXIMILIANUS, *Genij Bavaria veſtitus.*

& in pictis etiam armis terrorem circumferebat: undique fluctuabant confuſa hoſtium ſigna. Alibi nocentia corpora Molda hauſit. Ipſi lymphati in ære duces projectis armis celerabant fugam, ita in auro figurati, ut & ipſi pallerent.

Cultus Sabaudiæ Genij. SABAUDIÆ GENIUS, in criſtatum conum aſſurgente galea, contexerat injectam temerè cæſariem, in aureos ſubinde, & ipſo neglectu gratiores cincinnos profluentem. Humeris purpuream togam circumpoſuit, quam candida, è criſpato argento crux diſtinxerat. Oſtrum hoſtili ſanguine erubeſcere putares, quo ipſum AMEDEUS Quartus in expugnatione Rhodi imbuerat.

FAMA. Ubi ad reliquam vultûs venuſtatem ſerenos aliquot radios adjecit, quos illi Sereniſſimus MAXIMILIANUS è micantibus ocellis afflabat, ita in ſublime provexit agile corpus; ut alis aureo laqueari affixis Sereniſſimis CUNIS immineret, & in apertam chartam liberum offerret aſpectum. Illico quatuor Ephebi, qui Sabaudis cum GENIO advectis acceſſerant, in mandatis dat, uti PRINCIPUM ſuorum laudes, quas BOICA VIRTUS in diſpoſitis tabulis, & in imagine delineâſſet, brevi utrinque verſu conſtringeret: quas adductis Heroum exemplis eruerent GENII, & ipſa FAMA ad MAXIMILIANUM ſuum transferret. Facto deinde ſilentio BAVARIÆ EPHEBUS ita exorſus eſt.

Ephebi adducunt Majorum Virtutes in tabulis deſignatas.

Pietas. BAVARIÆ EPHEBUS. *Non quæ Tyrij muricis oſtra*
Conchyliatis purpurant in aulæis,
Non Aſſyrium ſpirat amomum:
Delubra ſed quæ veſtibus rubent ſacris,
Oſtróque nitent, & thure micant.

GENIUS BAVARIÆ. Pietas meorum PRINCIPUM in oculis verſatur: nec tamen verbis exprimi poteſt; niſi cùm illam ipſimet affuſi aris eloquuntur. Sacræ ædes, OETINGA & EBERSPERGA, imò tota BAVARIA armarium quoddam eſt, in quo PRINCIPES mei Pietatis ſuæ cimelia reponunt. Sed & fines ſuos egreſſa, exteras quoque regiones ardore ſuo implevit. Teſtabitur Lauretana Domus, GUILIELMI PII regalis opulentiæ donis ita exornata, ut vix alia ſint, quæ à peregrinis jucundiùs viſantur. Non enumerabo cætera meorum Principum monumenta. Sufficiat omnia in ſummam conjungere. OTTO MAGNUS, qui pietate potiùs quàm bellica virtute Bavariæ Principatum obtinuit, eundem etiam pietate conſervat.

Politia. SABAUDIÆ EPHEBUS. *Non turbulentas ad fori procellas,*
Fictóſque fragilis exigit nutus deæ
Negotioſos pectoris tumultus,
Sed ad profundam conſilI normam regit
Et delitentis regulam futuri.

GENIUS SABAUDIÆ. Alios induſtria admovet ad clavum Reipublicæ: PRINCIPES mei naſcuntur in publicam ſalutem. Communes curas ita moderantur; ut apium inſtar, non ſibi ſed Patriæ laborent mella. Negotioſas fori tempeſtates, ad Solis ſui, nempe Iudicij aciem examinant; ut inde lætam ſerenitatem in publicum effundant. PHILIBERTI mei & CAROLI nunquam oculos ſomno merſerunt, niſi in civium vultibus liquida priùs lætitia nataret. Quoties domum reverſos Cives vidi, comploſis manibus geſtire, & adorare tribunalium æquitatem! Illi etiam, qui causâ victi cecidêre, referebant judicum commiſerationem, eâ ſaltem ſpe erecti; ut, quod alijs Iuſtitiæ ſuffragium tribuiſſet, ſibi PRINCIPUM ſuorum Benevolentia conferret.

PIETAS CUM POLITIA.



FAMA. Eam veneror Pietatem, quæ tametſi crebris forenſium tempeſtatum procellis involvatur, nunquam tamen avertit oculum à Cælo. Etiam Reipublicæ æſtus ab Aſtris cieri debent, & ad illorum componi leges. Securè fluctuat hæc navis, ſi à Cælo deducit curſum. MAXIMILIANVS meus viam ad curiam à templo ducet. A Superûm pulvinaribus hauriet oracula; quæ deinde feliciùs depromet ex Iudicum urnâ, quàm ſi ab humano tantùm conſilio profecta eſſent.

Pacis ſtudium.

BAV. EPHEBVS. Non quæ cruentis ignibus vibratam
Aciem ſcrenant arma; ſed quibus rugas
Fuliginoſas induit vetuſtas:
Quando virenti pax revinxerat Lauro:
Ferríque fulgur vertit in ligones,

GENIUS BAVARIÆ. Quid enim non egit ALBERTI MAGNANIMI virtus, ut ferrum à Germaniæ jugulo revocaret? Expavit ſemper ad ALBERTI nomen Mavors, non auſus inferre ſceleratum pedem, & oleam excutere de vertice pacifici Principis. Videbatur ſub illo Bavaria profugæ virtutis Aſylum, & Religionis bello undique profligatæ Patria. Jacebant armatis pedibus protritæ Muſæ, & orbitatem ſuam inter civium funera deplorabant. Illas è tumulo revocavit SIGISMUNDUS, & dignitatem conciliavit in turpem antea ſervitutem abjectis.

Belli peritia.

SABAVD. EPHEBVS. Non cognata Patriam cæde
Jnundat; aut cruore merſa, civium
Jnter lacrymas, natat in jugulis
Bellona: ſed ſtantes minaci vertice
Ferro Lunas metit Odryſias.

GENIVS SABAUDIÆ. Nôrunt Heroës mei lunatam Hydram malè Pacis oleâ foveri: medicinam in ferro eſſe: funeſtum hunc Chriſtiani Cæli Cometam ſuperingeſtis armis, tanquam montibus exarmandum eſſe ſuo fulmine, à quo tot Mortales ſiderantur.

AMEDEVS MAGNVS ferro infregit cornua cruenti hujus ſideris, Inſulâ Rhodo ab infami jugo feliciter excuſsâ. Et ſi domeſtica quoque bella in cenſum veniant; quis illa felicius compoſuit VICTORE AMEDEO, Materno avo MAXIMILIANI noſtri? Ille incumbentem Patriæ Martem ſuis objectis armis ita ſuſtinuit, ut ex ipſis funeribus in novam gloriam reſurgeret; & ideo ſæculi ſui PHOENIX diceretur.

PACIS

PACIS AC BELLI ARTES.



FAMA. Mars cum PRINCIPE meo iu Cunis Argi inſtar connivet: non ita profundâ pace ſopitur, ut nullum oculum vigilem in armis conſervet. Cubans ante Cunas Gentilitius Leo, etiam excubat: apertis ſopitus oculis dormit vigil: & tametſi ſubſternat famulas jubas; redibit tamen ad innatas & ſe dignas iras, ſi irritaveris.

MAXIMILIANVS meus ex eadem officina & enſes poterit & vomeres procudere. Colet Pacem: ſed ſi auſit irrumpere ſceleratum bellum, opprimet in foribus,

Maieſtas.

BAVARIÆ EPHEBVS. Oris laudo decus,
Quod cum Sereno dividens jubar Sole
Cælum fronte gerit.
Et in decoras aſperat minas vultum,
Auguſtóſque metus.

Genivs Bavariæ. Qui meos Principes in imagine cupit exhibere, vultûs lineamenta à majeſtate deducat. Inſedit illa velut Paternæ ſedi ALBERTO MAGNANIMO, ita omnes oculi nutus moderata, ut videretur cum illis Cæli molem circumagere.

Turcarum Imperator, cùm Principum vultus ære deſcriptos inſpiceret; ALBERTI frontem verè auguſtam dignámque imperio pronuntiavit. Agnovit Boicus Leo ſuum Herculem : & quoties in illum oculorum aciem conjecit, ſubſtravit pedibus feritatem : quaſi perhorreſceret illud fulmen.

Humanitas,

SABAVDIÆ EPHEBVS. Non, qui ſeverâ fronte conſidentes
Faſtus, ſuperbum fulgur in gyrum rotant :
Summíſque fulmen montibus minantur :
Sed qui benigno promicantes ſidere
Serenitatem publicam propinant.

Genivs Sabaudiæ. Odi faſtigiata & in ſeveros arcus educta ſupercilia : qui frontem amœnâ lætitiâ diffundunt, illi ſunt Principes vultus, digniſſimi amari : quia amoris ſedem in fronte circumferunt. Amedeius Septimus Principes honores, ad quos illum SIGISMUNDUS Imperator evexit, humanitate ſua ita mitigavit, ut, cùm inter ſubditos quaſi privatus verſaretur, nihil tamen de majeſtate deperderet. Filius Ludovicus Paternæ virtutis hæres, quoties in publicum prodivit, adſpiravit omnibus lætitiam : & quò cæteris altiùs eminebat, eò demiſsiùs inclinavit miſeris fortunam, nullum repudians libellum, quem illi ſupplex manus porrigeret.

MAIE-

MAIESTAS ET HUMANITAS.



FAMA. Hæc duo virtutis lineamenta frontem mei Principis mirâ concordiâ diviſerunt: ut adeò in hac unâ ſede bene conveniant Majeſtas & Amor. Vultus MAXIMILIANI mei fulmen vibrat & Charites, dignus amari, dignus & timeri. Sol, quo nihil auguſtius mundus habet, in anguſto undarum ſpacio arctatur. Summa tametſi occupet, ad ima etiam ſe dimittit; ut, quoniam fulgurantes in cœlo ignes intueri non poſſumus, undis abluens fulgores modeſtè caſtiget, & omnibus ad ſe acceſſum offerat.

Munificentia.

BAVARIÆ EPHEBVS Non pallentibus abdit tenebris
Aurum, & refoſſis damnat exilijs opes:
Dives dextram perfluit aureis
Pactolus undis: & crebros æſtus ciens
Lævam gemmis Tagus evolvit.

Genius Bavariæ. Munificentia Principes meos jam dudum mortalibus eximit: nam illa ſola eſt, quâ proximè ad Deos accedimus. GUILIELMUS PIUS etiam ab aſtris ſpectat Baſilicam Divi Michaelis, quam plùs quàm Principali opulentia inſtruxit; & ut illuſtrius munificentiæ ſuæ monumentum relinqueret, ſe ipſum in tumulo condidit.

Sed & in publica ſolatia effuſi ſunt Principes mei. LUDOVICUS QUARTUS ſub imperij ſui exordia, cùm populus annonâ laboraret, aperuit Provinciæ granaria: & pietatis impensâ clariſsimam inaugurationem ſuam reddidit: ſparsiſque in plebem frugibus, optimam benevolentiæ in ſuorum animis fecit ſementem.


Oeconomia

SABAVDIÆ EPHEBVS. Non ut garrula ruris hirundo
Redeunte bruma perditos Soles gemit:
Sed velut ævi provida, dulces
Dies laborat cereis in ædibus
Animoſa ſuis divitijs apis.

Genius Sabaudiæ. Non illos ærarij fontes probo, qui ſubditorum exhauriunt ſudores. Alvei inſtar eſt Principum meorum Oeconomia, quæ undarum acceſsiones de rore cæli petitas collectis undique rivulis combibit: ut effuſo deinde flumine in publicam utilitatem derivet: feliciori utique vena, quàm in montium ſecuris longo & multo labore effoſſæ opes oſtendunt. An continuatum tot annis Martem ſuſtinere potuiſſet armata patria; niſi à Victoris Amedei ærario nervus acceſsiſſet Militi ſub dio & pellibus agenti? Prudentiſsimus Princeps foris ita Martem aluit; ut domi ærarium creſceret: ſubditorum ſpe, tametſi armis non nihil attritâ, in priſtinam fortunam ita ſoboleſcente; ut novis incrementis domeſticas opes fulcirent.

MAGNI-

MUNIFICENTIA ET OECONOMIA.



FAMA. Nihil timendum Principis mei liberalitati: tam copioſis hauritur aqua fontibus, quàm effunditur. Quod natura magni in uſum mortalium produxit, inexhauſtis etiam opibus ditavit. Oceano, quòd diſperſis undique fluminibus terram inundet, nihil decedit aquarum. MAXIMILIANUS meus tot clientes numerabit, quot cælum ſidera. Omnes vivent de ſuo, ut aſtra de ſole: qui tametſi de die radijs impleat orbem; habet tamen de nocte, quod ſideribus affundat.

Sapientia. BAVARIÆ EPHEBUS. *Non ad humanas Cynoſura leges*
Tempeſtuoſam dirigit animi ratem,
Sed polum ſummo ſpeculata cœlo,
Sæpe impeditam fluctibus maris viam
Inter undantes retegit procellas.

Genius Bavariæ: Hîc ego vel in tumulo veneror ſapientiam MAXIMILIANI: qui omnes nutus ab aſtris deduxit; nihilque in rebus humanis molitus eſt, quod non prius Cælum ſuo ſuffragio probavit. Crederes, illum interfuiſſe cæleſtibus arcanis, & in Diphtera Numinis proſpexiſſe futura: adeò ſemper ad illorum normam præſentia exegit. Alberto quoque in tot dubijs caſibus erranti filum porrexit Sapientia. Hac Ariadne duce, imperij curas tot erroribus implicatas, tam feliciter explicuit, ut ejus conſilia oraculi inſtar haberentur, totáque Italia ALBERTUM ACADEMICUM, Germania Sapientissimum appellaret.

Prudentia SABAUDIÆ EPHEBUS. *Non litigantes ad fremitum fori*
Exercet æſtus; ſed in animi curia
Verſat quietas conſilij moras:
Curáſque cenſet, & ſenatum in arduo
Frontis receſſu ſedula colligit.

Sabaudiæ Genius. Animi meorum Principum, conſiliorum ſunt cimelia. Prudentiæ opes ita recondunt, ut Natura fontes: qui, quò obſcuriùs in terra defodiunt cuniculos, eò ſe clariùs provolvunt in apricum. Precioſiſſima quæque Natura abſtruſis viſceribus condit: quibus ideo etiam dignitas accedit, quia ex abdito eruuntur. EMMANUEL PHILIBERTUS ex animi receſsibus deprompſit conſilij venam, quam multâ prudentiâ verſatam ita temperavit, ut nemo conciliandis parandiſque regum & finitimorum Principum animis aptior haberetur.

SAPIENTIA DIVINA ET HVMANA.



FAMA. Nullum pulchrius vinculum eſt, quàm quod cælum cum terra conjungit. Humana conſilia ita tractari debent, ut videantur in cæleſti Senatu concluſa eſſe. MAXIMILIANVS meus cum ſupremo Numine movebit mundi ſui molem: in hoc uno diſſentiet, quòd, cùm ille in Orbis compoſitione diſcreverit à terra cælum, hic conjungat, & ab unitis partibus ſuam ducat rationem. Struthionem imitabitur, qui altero oculo cælum reſpicit, altero terram. Summa tubo optico ſcrutabitur; infima examinabit microſcopio: ut utrinque ſuis delineata coloribus veritas effulgeat.

Clementia.

BAV. EPHEBVS. Non ut cavato contumax laborat
In ſilice ferrum, aut æſtuantibus circum,
Immota cautes fluctibus reſiſtit:
Sed ut lituras facilis exuit cera,
Mitéſque ripas obſident lapilli.

GENIUS BAVARIÆ. Indulgentia Principes meos proximè ad Deos admovet. Numinis eſt, elargiri vitam; Principum meorum, conſervare. Jovis fulmen ſæpe tantùm nubes ferit. Malunt mei Principes ad terrorem potiùs oſtentare rigidam æquitatem, quàm illâ miſeros affligere: nihil niſi injurias oblitterant. Et ſæpe in æquitatis parte reponunt, parcere ſubjectis. Sereniſsimus meus FERDINANDUS quoties contraxit ſtrictum juris lacertum? quot mortis damnati, ejus vivunt indulgentiâ? quæ tametſi publico ſæpe nocet: decet tamen quandoque Principem. ut adeò hæc ſola pulchra ſit deformitas: & hoc genus querimoniæ, quod contra clementiam armatur, laudum inſtar reputetur.

Iuſtitia.

SABAVDIÆ EPHEBVS. Dextram in tuta ſede reponit
Jaculator haſtam, & lubricas in aëre
Spes in media figit meta:
Suíſque ſemper factioſum partibus
Æquus Judex fugit extremum.

GENIUS SABAUDIÆ. PRINCIPES mei ſceleſtos cùm Dijs à tergo ſequuntur: ad auream Aſtreæ lancem expendunt vulgi ſtudia; nullúmque cruentum calculum decernunt, niſi ratione ducti. Æquitatem, quam in alijs colunt, in ſeipſis amant: neque ambitionis fuco decolorant judicia, aut utilitatis purpurant cocco. Opes Oceani inſtar, quas à ſubditis hauſerunt, in ſubditos refundunt. Feſtinata mors, cùm jam interregnum diceret PHILIPPO, per præconem denuntiari juſsit; venirent, quos inſcius fraudâſſet debito: jus exigerent, quod obtinerent: curaturum ſe, ut, dum adhuc Principes curas cum anima ageret, omnes agnoſcerent, beneficium ſe dediſſe, quod ſpes eò uſque diſtuliſſet.

JUSTITIA ET CLEMENTIA.



FAMA. *Eadem dolia, quæ in Iovis ſolio antiquitas collocavit, ad* CUNAS *mei* PRINCIPIS *virtus conſtituit: uno vitæ, altero mortis poteſtatem continet; ut & ſua ſit ſceleratis pœna, & bene meritis præmium. MAXIMILIANUS meus utramque urnam ita temperabit, ut æquitas indulgentiæ, & indulgentia æquitatis habeat rationem. Noverit has geminas ſorores tam amico inter ſe fœdere conjungere, ut integro nexu utrumque juris brachium adſtringant.*

Sereniſſimi Ferdinandi laudes.

BAVARIÆ EPHEBVS. Vt ſe divite verſat in urna
Regnator orbis Cæruli, perenníque
Fluvijs undas fonte propinat:
Iterúmque liquida fluctibus ſorbens arva
Omnes in ſe reflectit opes.

GENIUS BAVARIÆ. Ad te propagatus Sereniſsime PRINCEPS FERDINANDE OTTONIANUS ſanguis, dubium fecit, an plùs obſtrictus ſis MAIORIBUS, quòd Nobilitatem tibi tranſcripſerint; an Tibi MAIORES, quòd Natalium ſplendorem tua extenderis virtute. Debes magnis Parentibus vitam: debent & illi tibi, quòd in virtute tua vivant. Ceras AVORUM non in atrijs, ſed in vultu tuo reponis. ALBERTOS MAGNANIMOS, GUILIELMOS PIOS, MAXIMILIANOS SAPIENTES non ex hiſtoriarum monumentis, ſed è factis ſuis ita recenſes; ut, cùm antiqua Principum decora miremur, in te collecta venerabundi ſuſpiciamus.


Sereniſſimæ Adelhaidis encomia

SABAVDIÆ EPHEBVS. Cælo qualis in aureo
Latona bigas explicat, ſerenique
Tranſmittit ſpatium poli,
Intérque ſparſos ſiderum minorum ignes,
Plenis cornibus emicat.

GENIUS SABAUDIÆ. Inter Sereniſsimæ PRINCIPIS meæ ADELHAIDIS DECORA Nobilitas vix in cenſum venit: adeò ſanguinis ſplendorem ferè virtus obſcurat: quam ita à progenitoribus duxit, ut & ſuam fecerit. Non enim aſtra diſponunt Principum vitam, ſed clara Majorum virtus: quæ propriori affluxu adeſt intrantibus lucem, quàm inconſtans ſiderum error. Eſt ſuum SABAUDIÆ Cælum: ſunt ſua Sereniſsimo Zodiaco ſidera, variáque virtutum poſitura. Illa PRINCIPIS meæ animi lineamenta diſpoſuit.

SERE-

SERENISSIMORUM PARENTUM VIRTUTES IN SERENISSIMO FILIO JUNGENDÆ.



FAMA. *Virtus, quæ* PRINCIPUM *meorum ſanguinem conjunxit, Gordio quoque nodo Sereniſſimum* MAXIMILIANUM *meum in Cunis adſtringit. Si ſerenam frontem ad Bavariæ ſidera examines; agnoſces infuſos ignes: ſi ad Sabaudiæ expendas aſtra; credes* PRINCIPEM *in illa immigrâſſe. Adeò nullum in utroque Sereniſſimo Cælo ſidus, quod non in meo* MAXIMILIANO *refulgeat.*

Abſol-

Abſolverant Ephebi deſcriptas in tabulis laudes, gaudente utroque Genio Principum ſuorum virtutes tam pulchro utrinque nexu convenire; & cùm illas etiam in emblematis inſpicerent, quæ artifex penicillus varia imagine in tabulis delineavit; Fama ſuſpenſas in laqueari alas demiſit ad Cunas: & exſerens triumphale folium: *Hanc*, inquit, *Ideam virtutum, quæ modò commemorâſtis decorà abſolvent. Sciat orbis, quid deſignatæ in hoc Arcu ſpes promittant.* Hæc locuta, celeres concutiens alas libravit in auras: & ipſa jam in ſublime provecta has dejecit in charta laudes: quas Ephebus ita cecinit.

Fama concludit laudes Sereniſ. Maximiliani.

Vt multiplici luce coruſcat
Gemma, ſereno perſtricta die:
Varióque capax Adamas flexu
Novit in auro pingere lucem.
Sic ab avitis Maxmilianus
Aſtris omnes colliget ignes

Immortali vaticinio.

Dum hoc venuſtatis compendium recenſuit Ephebus: FAMA jam in ſummo turris faſtigio conſtitit: & vatidico ſpiritu animans tubam, laudes ſui Principis hac oratione complexa eſt.

Evolvit tandem Cælum expectatione ſua Patriam. Natus eſt PRINCEPS, *tot antea votis deſignatus, quot jam gaudijs ſuorum animos implevit. Ignoſces, opinor, O Patria, diuturnæ moræ: quam ideo cælum traxit, ut felicius diſſolveret, & eum* PRINCIPEM *daret, qui & vota tot lachrymis verſata impleret, & in novas ſpes deduceret ſuorum animos, longa dilatione fruſtratos. Ridet jam* PRINCIPIS *ſereno Bojaria, & eos ſibi pollicetur dies, qui præſagâ quâdam lætitiâ ex Sereniſſimis* Cunis *promicant, & dulci ſpe nutriunt Patriam. Geſtit tenera ætas, non multùm diſpares annos tecum in ejuſdem felicitatis conſortium propellere. Adulti, dies in delicijs reponent, quos à tuis* Natalibus *recenſere poterunt. Tu ipſe tot gradibus ad gloriam aſcendes, quot exiges Soles. Prævertes Naturæ limites: ætatem felicitate, felicitatem virtute ſuperabis. Neque enim Tu Fortunæ, ſed illa tuos obſervabit nutus, contenta, ſi famulam admiſeris. Exteræ gentes Te colent, ſubjectæ amabunt: nec aliam felicitatis ſuæ metam ſtatuent, quàm tuæ: hoc ipſo felices, quia tu infelix eſſe non poteris. Placidam, nullíſque curarum faſtidijs obnoxiam ætatem in Pace duces, neque indues arma, niſi quæ hoſtes formident, ſubditi velut libertatis præſidia adorent.* Maiorum *Decora, quæ* Auguralis *hæc* Idea *pollicetur, vitâ tuâ abſolves.* Bavariæ Heroum *virtutem factis exprimes.* Sabaudiæ Principum *gloriam virtute tua extendes. Neque priùs te ſera ætas in aſtra deducet, quàm* Fama *tuo nomine impleverit orbem.*

Dixit: & ut conſtaret, illam æternitati laborare, conſignavit adamante Principis ſui laudes. Remittente deinde nonnihil æſtu, ubi præſaga quædam triumphi folia per auras diſperſit, concuſſis ſubitò alis evaſit è conſpectu.

FINIS.